

lenta: sed fiūt ad disciplinā, dictante charitate. Semel
ergo breue præceptū tibi præcipitur. Dilige, & quod
vis fac. Siue taceas, dilectione taceas: siue clames, di-
lectione clames: siue emendes, dilectione emendes:
siue parcas, dilectione parcas. Radix sit intūs dile-
ctionis, nō potest de ista radice nisi bonū existere. In
hoc est dilectio. In hoc manifestata est dilectio Dei
in nobis, quia Deus filium suum misit vnigenitum in
hunc mundum, vt viuamus per ipsum, *In hoc est dile-*
ctio, non quia nos dileximus, sed quia ipse dilexit nos. Non
illum dileximus prius: nam ad hoc nos dilexit, vt dili-